

† R. P. Iosephus Hull (1863–1932)

(*Prov. Angl.*)



R. P. Ios. Hull, postquam in fidei Regulae observantia vitam valde actuosam gessit et in Provincia Anglica multa graviaque officia laudabiliter administravit, a Deo diuturna infirmitate probatus est et tandem 24 Oct. 1932 pie diem obiit supremum in domo Londinensi, natus annos 69, dies 5.

Natus in Bootle prope Liverpoolium 19 Oct. 1863, in hac urbe institutionem educationemque recepit a Patribus Iesuitis, et annum agens undevicesimum Redemptoristarum novitiatum in eadem civitate constitutum, vulgo Bishop Eton, intravit. Vota emisit kal. Nov. 1883, et

10 Sept. 1890 sacerdotio auctus est in Teignmouth, ubi tunc temporis erat domus studiorum. Absolvens interim superiora sua studia, iam alios docere iussus est in iuvenatu Limericensi, simul Socius P. Directoris, atque hac ratione nostram educationis methodum bene didicit.

Ubi Superiores statuerunt in Bishop Eton peculiarem iuvenatum Anglicum aperire, Patrem Hull Novembri 1894 eius primum Directorem fecerunt, unaque domus Ministrum, quo in utroque munere tam bene se gessit, ut a. 1901 Rector et Director collegii nominaretur. Anno 1907

creatus est Rector domus Clapham atque Consultor-Admonitor Provincialis, et post Capitulum generale anni 1909 tres annos omnium felicissimos (ita aiebat ipse) transegit in domo Monkwearmouth-Sunderland qua missionarius.

Tunc (1912) integram Provinciam accepit regendam, neque tamen apostolica opera, velut contionando, confessiones excipiendo, aegrotantes visitando, abstinebat, comitate et affabilitate populo acceptus. Ipso Provinciali primi tres Patres in Africam australem missi sunt<sup>1</sup>. Cuius negotii causa P. Hull etiam Romae fuit, a Pio PP. X benigne ad audientiam admissus. Exorto immani bello, cum Eius Cardinalis Bourne nostra quoque servitia efflagitasset, P. Provincialis 17 vel 18 Patres tanquam capellanos militares dedit. Eorum duo vitam amiserunt, unus proelio navali ad oram Jütland interfuit, complures insignibus M. C., D. S. O., O. B. E. decorati sunt.

Exacto triennio P. Hull libens in Bishop Eton revertit, Rector domus ac Director iuvenatus. Deliciae enim eius erant adolescentulorum animos effingere eisque inserere magnum Instituti nostri amorem atque Alfonsianas devotiones, praesertim erga SS. Sacramentum et Beatissimam Virginem. Tempore quadragesimali insuper partem habebat in tradendis missionibus, reliquo tempore in sacro ministerio propriae ecclesiae. Eo Rectore in domo et aede sacra variae emendationes effectae sunt, velut lux electrica adducta, ecclesia decorata marmoreo pavimento et magna fenestra eleganter depicta, novo organo novaque Cruce belli memoriali.

Anno 1918-1924 degit superioratu exoneratus, partim in Clapham, partim in novo collegio Erdington prope Birmingham. Deinceps (1924-1927) domui Monkwearmouth praepositus, novam paroecialem aulam aedificavit.

Hoc tempore in P. Hull, qui semper vitam admodum laboriosam vixerat, prima vestigia morbi diabetis apparebant. Nil mirum igitur, quod postea, cum a. 1927 iterum Superior Provincialis creatus esset, gravis muneris onere quasi opprimebatur. Missionem praedicans in urbe Lincoln, ibi gravis infirmitas cardiaca accessit, ita ut ultimis sacramentis muniretur et per aliquod tempus in munere vices gerentem acceperit.

Liberatus a. 1930 provincialatu, Londini mansit usque ad obitum. Quodam die in ecclesiae confessionali paralysi in latere dextro tactus est. Exinde sola cotidiana communione eum contentum esse necesse erat, sed nunquam magis quam tunc praeclara solidae virtutis exempla dedit, ut patientiae et iugis orationis. Novo morbi impetu facto placide animam efflavit, remunerationem incorruptibilem recepturus. — R. I. P.

<sup>1</sup> *Analecta* X (1931), 187.